



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XLVI. Societ. Iesu autoritate Apostolica in Religionem formatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

conuenit, de Societate eatenus libera certis deinceps legibus in Religiosum Ordinem formanda, & hic rediit cunctis sensus intimæ voluptatis quo delibuti olim Parisiis fuerant, cum huius quam nunc attollere decernebant Societatis ponerent fundamentum: quod verò totum iis diem conderent auxilia proximis præbenda, statas quot noctibus sibi horas legere, quibus Societatis rudimenta partèsq̃ illius præcipuas communi suffragio designarent, quæ tranquilla per noctem deliberatio menses tres tenuit. Ac ne in semel iam decretis, sententiæ denuo vacillarent, deliberandi modus hic obseruatus est vt procederetur his tribus gradibus, meditatione, Consilio, & Decreto. Posita ergo in medio, re deliberanda, quisque illam seorsum secum coram Deo statuebat, omni que versus illam affectu seposito cernebat velut alienam, nihilque ad se spectantem, ita semoto proprii instinctus pondere, quod fere mentis iudicium deprimit; eminebat ratio sui potens, & domina, ad perspicendum, eligendumque quod optimum foret. Sic autem apud se meditata, fas non erat communicare cum alio, ne ius rationi auctoritas diceret. Postmodum verò vbi conuenissent, suam quisque edebat sententiam, quæ in partem omnem versata, cum in aliquid certi constitisset, tunc committebatur suffragiis, & eorum assensu stabiliebatur. Sic ab Ignatio posita, communibus semper omnium votis probata sunt, vno tantum, atque vna in re excepto Bobadilla, qui munus tradendæ pueris Christianæ Doctrinæ voto nunquam adstringi voluit, cæteris licet id expetentibus; quare illi magis, quam rationibus illius deferri placuit, nec Societatem ei officio strictius quam ad alia obligari. Non vitauit tamen Bobadilla, hac etiam in re, pertinaciæ notam quandam, quod cum in grande incommodum videretur cessurum, si quod alij censuissent, obstinato magis vnius iudicio quam rationibus irritum fieret; decretum ab iis est, vno contra omnium assensum, animum obfirmante, cassum fore ac nullum eius suffragium. In hunc modum formatum Societatis institutum (de quo explicatius sequenti libro) ab Cardinali Gaspare Contareno Ignatii nomine, Paulo tertio Pontifici offertur, excipiturque admodum clementer, & retractandum committitur Sacri Palatii Magistro F. Thomæ Badia, qui postea fuit S. Syluestri Cardinalis. Is vero bimestri examine diligentius perspectum, omni que ex parte laudatum, Pontifici retulit cum summa illius approbatione; legit nihilominus illud idem ipsemet Pontifex, non vulgari accuratone, & luce à Deo perspicaci auctus cum rerum eximie gerendarum non ambigua semina in eo comperisset, *digitus Dei hic est*, inquit, & viuæ vocis oraculo probauit Tybure Septemb. 3. an. 1539.

XLVI.  
Societ. Iesu  
authoritate  
Apostolica in  
Religionem  
formatur.

Sed probatio hæc vt Apostolica confirmatione sanciretur, & deinceps petitum, & diu multumque in eo laboratum; nam etsi faueret Ignatio Pontifex, sed hac lege, vt Cardinales tres auctores fierent, magnæ quidem illi ac seuerioris prudentiæ, flectique difficilis. Cuius primum in manus negotium venit, aduersaturus certo creditus est, nisi recta in Deum id tenderet. Erat enim is Bartholomæus Guidiccionius, vir integerrimus, & peritissimus



tissimus sacrorum Canonum, ad eoque virtutis, & sapientiae nomine Pontificatu dignus, ut defuncto illo Paulus tertius diceret, successorem se suum amisisse. Verum ab numero religiosorum Ordinum augendo ita abhorrebat, ut omnes potius ad solos quatuor sentiret esse redigendos, quam de nouo aliquo cogitandum: & elucubrassè de hoc argumento aliquid ferebatur. Vbi ergo sibi mandari didicit de cognoscendo illo quem meditabatur Ignatius, vix proponi rem sibi sustinuit, formam certe videre instituti, omnino noluit, eiusque condendi damnauit consilium, quod diceret, cuiuscumque modi formaeque id foret, melius semper, eo carituram, quam abundanturam Ecclesiam, Religiosas enim familias dum sensim laxantur, Ecclesiae progressu temporis, cundo plus nocere; quam olim nascendo profuissent. Atque ut erat tantum apud omnes opinionis eius pondus, facile collegas Cardinales duos, in suam sententiam traxit. Haud tamen propterea fractior, & minor animo effectus Ignatius: sed pridem edoctus magnis perumpendis difficultatibus, magna contentione opus esse, pro solemnino, suscepit negotium, cum Deo vi multa tractare, securus admodum obstiturum ei mortalium neminem, si caelesti suffragio probaretur, quod quidem haud diu dilatatum est, sed modis in speciem optata rei contrariis. Magnorum enim & Principum, & Antistitum rogatu Pontifex, socios in diuersa misit. Verum suam quisque stationem vix obtinuerat, cum Romam undique perfertur de mirabili successu, quo egregiam illorum operam diuina bonitas fortunabat. Faber enim, dicere liceat, sanctam breui tempore Parmam fecit, cuius (alias enarrandi) vel hoc specimen sit quod plus centum simul quàm Sacerdotibus, quàm laicis, eodem tempore, Exercitia tribuebat, quibus accipiendis cum pares sint, etiam inter bonos pauci; inde sit facilis coniectura, quantus fuerit numerus reliquorum, ex quibus tam multos seligere licuit, qui possent ad summam virtutem adspirare. Nihilò erat Placentiae fructuum parior, Lainij labor quibus Ennius Philonardus Cardinalis, per literas assidue Pontificem Maximum recreabat, à quo eosdem Fabrum, & Lainium suae in eam Prouinciam, legationis acceperat comites: de Pascasio, & Rodericio Senis idem scribebat Franciscus Bandinus Archiepiscopus; ab iis nempe cleris, ac populi mores, mirabiliter emendatos, moniales praesertim caenobij cuiusdam implacabiliter Archiepiscopo aduersantes. Nec dissimili opera in Regno Neapolitano Bobadilla; Iaius Balneoregij; Montispolitiani, & Brixiae Strada, animarum saluti incumbebant; Strada praecipue tametsi iunior, neque dum Sacerdos, sed adhuc ardore nouitio feruens. Praeter quae Ioannes Tertius Lusitaniae Rex, de Ignatij sociis à Pontifice sex petebat quos in Indias mitteret, quamuis duo tantum concedi potuerint, Xauerius, & Rodericius. Ortizius item Caroli quinti Procurator Fabrum impetrauit, ad fulciendam fidem Catholicam, Vormatiae quidem comitorum tempore futurum, post verò in Hispaniam iturum. Tam ampla & multiplex testificatio virtutis & Spiritus quo in omnium salutem, & Ecclesiae sanctae obsequium versabantur ij Patres. Pontifici sapientissimo



pientissimo fecere perspicuum, hanc esse venam Apostolici Spiritus ab  
 Ignatio profectam, quæ si posset in similes posteros traduci, futuri essent  
 Ecclesiæ magno, perpetuòque, presidio, sed tunc potissimum in Septen-  
 trione calamitosè laboranti, non tamen satis mouebant hæc desideria, ad  
 obtinendum Societati Religionis characterem, Guidiccione animum sem-  
 per in oppositum obstinante; videbatürque Deus, ita hoc opus digerere, vt  
 euidens foret, suum vnus opus esse, quando tunc illud confici voluisset,  
 cum esse extra spem conferetur. Visus quoque est gratificari Ignatio velle,  
 vt qui Societatis semina solo mandauerat, suis etiam lacrymis in segetem  
 ea educeret. Flendo enim supplicandòque instabat Deo finem faciens nul-  
 lum, sua Christo promissa memorandi atque inter hæc illi succurrat ali-  
 quando, vt collectis secum sociorum omnium animis, nouam impressio-  
 nem in diuinam clementiam faceret. Fecit omnium nomine, & tria millia  
 factorum, grati animi Eucharistica promisit si se compotem voti facere  
 dignaretur. Quo certe supremo impetu expugnari visus est Deus voluisse:  
 nam Guidiccione repente se, quo pacto nesciens, mutatum ab eo qui fue-  
 rat mirari, circumspicere, nec vnde id fieret assequi; nisi ex vi quadam  
 suauissimè sibi coelitus illata. Vltro iam itaque, Instituto formam depose-  
 re, legere, perpendere singula, cunctisque mirè placentibus tandem con-  
 cludere, ab nouis Religionibus in Ecclesiam inducendis etiamnum se esse  
 alienum; sed ab iis eam excipere quam proposuisset Ignatius. Ad eò in illo  
 alium ab illo loqui censuisset. Duos quin etiam Cardinales negotij secum  
 ministros, vt secum sentirent effecit, ac demum apud Pontificem, ex  
 aduersario patronum se præstitit vehementem. Quare submotis quacum-  
 que obstiterant, formaque Instituto; quam Cardinales oblatam cognoue-  
 rant, particulatim, & placidè librata, Paulus tertius Christi Vicarius Socie-  
 tatem Iesu in Religionem formauit; eiusque Institutum, & nomen maiori  
 diplomate probauit, cuius initium est. *Regimini militantis Ecclesiæ, &c.*  
 dato Septemb. 27. anno 1540. nam etsi voluit sexagenario numero Socie-  
 tatem professam definiri, sex tamen post biennium mensibus, nouo Mar-  
 tij 14. Diplomate, angustias illas penitus laxauit anno 1543. Incredibile  
 est Ignatij pectus quantis tunc affluerit gaudijs, quam generoso erga Deum  
 affectu creuerit. Tandem enim post longas peregrinando, studendo, conti-  
 nuandis precibus, & lacrymis, vexationibus, & periculis perferendis  
 ærumnas, & gemitus, tandem, inquam, sua in tuto vota aliquando conf-  
 pexit, quorum summa hæc erat, vt labores suos Ecclesiæ sanctæ obsequijs,  
 & animarum bono ad Dei gloriam faceret æternos. Ad agendas gra-  
 tias tanti doni, confestim animum cum sociis contulit, exsoluendum-  
 que quem nuncupauerat sacrorum numerum quorum vnusquisque sibi  
 imperata, tam religiosè supputabat, vt Indorum Apostolus Xauerius  
 Vlyssipone ad Ignatium scriberet, quàm multa iam inde persoluisset, ex  
 quo de iis monitus fuerat. In Societate verò vniuersa immortales vix-  
 re gratiæ Paulo Tertio Pontifici Maximo quem solemus inter nos alte-  
 rum



rum vocare Societatis Patrem idque propensius quod paternus illius erga nos animus haudquaquam cum illo interit, sed in stirpis illius principes transfusus cernitur, loquiturque magnificentia operum ab Alexandro & Odoardo Cardinalibus Romae positorum; ab ducibus vero Alexandro in Belgio, & Rainuccio in sua dictione. Secundam eiusdem beneficij gratiam debet Societas Illustrissima domui Contarenæ; scribens enim ad Petrum (cuius ante mentio facta est) vir sanctus, de Cardinali Contareno (rei, inquit, huius à nobis tantoperè expetita factorem ubique se præbuit) & hæc licet obiter dicta sint, ut quorum æternis erga nos meritis, futuri sumus æternum impares, iis loco æternæ gratiæ, æternam debiti confessionem rependamus.

Hæsitavi diu esse hæc indicaturus saltem diuina oracula, & prædictiones quibus Societatis ortum, instituta, labores, & fructus laborum Deus monstrauerat. Hæc enim cum laudis plurimum habeant, verebar ne minus historicum viderer agere, quam ostentatorem, à quo certè tam longè abhorreo, ut nec propterea velim apicem pingere. Attamen si Deo placitum, suam quoque hanc inter alios Ordines, minimam Societatem hac luce ornare, per me licet, habeat sanè quod Dei munere, ac iure suum est. Porro Deum, & religionum, & eorum à quibus fundandæ, futuros natales, cursusque operum præmonstrasse ex somnio clarum est, quo doctus est Honorius Pontifex SS. Dominici, & Francisci quas deinde probauit familias, quanto essent Ecclesiæ firmamento futuræ. Illa Romualdi in cælum scala, & scandentes in veste candida Monachi; illi S. Norberto circum Christi caput de cruce pendens, spectabiles radij, & peregre ad illum vndique confluentes; stella septem, Brunonis, & comitum S. Hugoni Episcopo prodromæ indices, aliaque eiusmodi non pauca, hæc idem loquuntur; ut non sit ita mirum Societatis nomen, institutum, occupationes, si tanto ante Deus ostenderit. Imprimis Rainolda de Arnemio, virtutis heroicæ femina magnique in Belgio nominis, anno 1534. quo Ignatius ad montem Martyrum prima illa edebat Societatis præludia, Petro Canisio tunc admodum iuueni, prædixit Religionem Iesu complexurum, quam breui excitaturus esset Deus, publico quidem omnium, at peculiari Germaniæ bono: præter hanc Mediolani Angela Panigarola in S. Marthæ monialis, multis ante Societatem annis, de illa vaticinata est, ac de rebus tum alibi, tum Mediolani ab ea gerendis. Sed vtrumque quod nunc est notasse sufficiat, suis quas Romæ in tabulario habemus literis opportunius explicandum: vnum tamen neque hic differam, nec ita obiter perstringam quod in posteriori Asiæ parte scribenda memini, & ex veteribus Ordinis monumentis (qui Trinitatis sanctæ nomine captiuorum Redemptionem profitetur) haud pridem ad me transmissum est, cum id ex Tabulario Conimbricensis cœnobij, F. Ioannes de Figueras, totius fere orbis lustrator, magna fide in sui Ordinis historiam transtulisset. Quo igitur anno in hanc lucem venit Xauerus, postea Indorum Apostolus, eodem illic necatus est Petrus de Couillanis vel ut

## XLVII.

*Prædictiones  
de ortu, Spiritu  
ritu, & operibus Socie-  
tatis.*